ASSERTIONES THEOLOGICAE

QVÆSTIO

Vtrum omnia tum præterita, tum futura ſint præſentia diuinæ cognitioni, etiam qua ratione uerè exiſtunt.

1 Concluſio.

OMNIA tum præterita, tum futura præſentia eſſe Diuinæ cognitioni non tãtùm qua ratione eorum ideæ ſunt in mente Diuina, ſed etiam qua ratione uerè exiſtunt, & ſacris literis, & Sanctorum ſcriptis, & ueræ Theologiæ conſentaneum eſt.

2 Concluſio.

Appetitione, quæ non eſt actus elicitus, ſed naturalis tantùm propenſio voluntatis, homo non appetit ueram illam beatitudinem, quæ in Diuinæ naturæ viſione conſiſtit: Neq; illa eſt naturalis finis animæ noſtræ; ſed prorſus ſupranaturalis.

3 Concluſio.

Et ſi viſionem illam, qua ſola beati dici & eſſe poſſumus, naturali tantùm cognitione informati actu volũtatis efficaci non appetimus, tamen fidei lumine illuſtrati per ſe ſpectatam ſic concupiſcimus, vt illam quamuis non appetere poſſimus, repudiare tamen, ac reijcere nullo modo valeamus.

4 Concluſio,

Qui claro naturæ Diuinæ conſpectu perfruuntur, ita illi adhærent, vt viſionem illam ipſam, qua beati efficiuntur, non velle non poſſint. Atq; ideo Diuina natura apertè & perſpicuè cognita, eliciendi exercendiq; appetitionem voluntati neceſſitatem affert: Quod tamen Deus infinita ſua potentia aliter vt eueniat, efficere poteſt.

5 Concluſio.

Beati orationes, & preces, quibus eorum auxilium imploramus, non quidem per Diuinæ naturæ conſpectum, ſed per ſpecies de nouo creatas, Deo reuelante, cognoſcunt.

6 Concluſio.

Gratia, quæ vt habitus in anima Chriſti inhæret, nec eſt infinita, nec ſumma, quam Deus omnino creare, & gignere poteſt. Chriſti tamen meritum infinitum eſt, proinde Deo pro omnibus omnium peccatis tam propriè perfectèq; ſatisfecit, vt nihil ad veram Iuſtitiæ rationem deſiderari poſſit.

7 Concluſio.

Vt Chriſtus dominus per actionem, qua beatus erat, nemini quicquam mereri potuit, ita per nullam ſibi meruit aut animæ beatitudinem, aut mirabilem illã humanæ naturæ cum Diuina perſona coniunctionem.

8 Concluſio.

Nonſolùm in eo appetitu, qui ſenſum conſequitur, ſed etiam in voluntate Chriſti erant actiones naturales, & neceſſariæ. Atq; ideo eius voluntas à Diuina voluntate in re expetita fuit aliquando abſolutè diuerſa. Quod quidem etiam potuit eſſe verum in voluntate deliberata ſecundum regulam inferioris rationis.

9 Concluſio.

Chriſtus Opt. Max. etiam qua ratione homo erat, non quidem iure hæreditario, vt quibuſdam viſum eſt, ſed priuilegio, ac dono Patris, fuit rex, ac dominus totius orbis, etiam in temporalibus.

10 Concluſio.

Quemadmodũ ſacramẽta legis nouæ ſic ſunt cauſa gratiæ, vt verè gratiã ipſam gignant atq; efficiant: ita natura humana Chriſti (quæ quidem aliam habet exiſtentiam à Diuino ſuppoſito) verum fuit Diuinitatis inſtrumentum in miraculis efficiendis.

11 Concluſiio.

Qui ſumma rerum inopia atq; indigentia oppreſſus, alienis uti coactus eſt, eaq; diſtraxit, atq; cõſumpſit, & ſi tunc alibi bona nulla habeat, vnde ſoluat: tamen ſi poſtea ad meliorem fortunam venerit, omnia, quæ accepit, reſtituat, neceſſe eſt.

12 Concluſio.

Cum nemini liceat alium ad peccatum inducere, aut peccati eſſe participem, conſequens illud eſt, ut nemo mutuã pecuniam ſub vſuris petere poſſit, etiam ab illo, qui ſit ad fœnerandum paratiſſimus: Nec remex eſſe contra Chriſtianos in claſſe Turcarum, quamuis certiſſimo mortis periculo terreatur.

13 Concluſio.

Quemadmodũ rem falſam quamuis parui momenti ſit, iureiurando confirmare, ita etiam rem iuſtam etiam leuiſſimã, iureiurando promiſſam non præſtare, lætale peccatum eſt, eò grauius (ſi iuriſiurandi tantùm rationem per ſe ſpectes) quò res, quæ promittitur, leuior eſt: Quamuis credibile ſit voti ſponſionem in re parua non eandem obligationem inducere.

14 Concluſio.

Neq; Moſes in monte, neq; Diuus Paulus in raptu clarè & perſpicuè Diuinam naturam intuitus eſt. Fuit tamen verus Samuel, qui apparuit Sauli, non Dæmon aliquis in effigie Samuelis.

15 Concluſio.

Vt certum eſt, per triduum, quo Chriſti anima à corpore ſeiuncta fuit, fidem non in ſola beata Virgine permanſiſſe, ita ambiguum, num ij, qui miſerè apud inferos pœnas luunt, viciſſim nunc calore maximo, nunc frigore rigidiſſimo crucientur.

Quæſtioni ſatisfacit prima Concluſio.

Romæ In Collegio Societatis Ieſu Anno 1565. cum facultate et legitima Superiorum approbatione.

LAVS DEO.

A. 1565.

40